






TAYLOR INSTITUTION
DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA

FERRUM.

CARMEN.


AUCTORE
ÆGID. XAVERIO
DE LA SANTE
E SOCIETATE JESU.

SECUNDA EDITIO.



AVARICI BITURIGUM,
Typis FRANCISCI TOUBEAU, Academiæ, necnon Collegii Societ. JESU Typogr. Bibliop.

M. DCC. VII.





AD SERENISSIMUM AREMORICÆ DUCEM.

BORBONIÆ spes alma domûs, dignissima Regum
Progenies, auguste puer, quo principe gaudent
Magnanimi Britones; facili, precor, excipe vultu
Carmen, & Armorici munuscula prima poëtæ.
Nil equidem vereor, nostri ne dona metalli
Despicias. Hæc dona decent heroa futurum,
Nec malè conveniunt crescenti Martis alumno.
Tempus erit, (neque vana putes præsagia vatum,)
Cum Patris indomiti vestigia pulchra secutus,
Inclyta bella geres: quotcumque movebis in hostem
Prælia, tot referes palmas, ferroque timendus
Instar Avi, Mars alter eris. Te maximus olim
Per medias volitantem acies mirabitur orbis,
Ac tremet. Ex Proavo regnare, & vincere disces,
Idem animi, sceptrique idem non degener hæres.

Mox tibi, cùm magnis ætas matura triumphis
Venerit, è rigido conflabimus arma metallo,
Arma, quibus Batavûm turmas, atque Anglica victor
Agmina conquaties, Majorumque æmulus ingens,
Jura per attonitum latè dabis arbiter orbem.
Talia Borbonio debentur fata nepoti,
Non alium ſibi noſtra Ducem Provincia poſcit.
Interea manibus jam nunc aſſueſce tenellis
Contrectare meum, Princeps dulciſſime, Ferrum;
Dic placuiſſe tibi, fiet pretioſius auro.





FERRUM.

CARMEN.

DUM latè armorum strepitu circumtonat orbis,
Et populi fera bella movent, dum tristis ubique
Sævit amor Ferri: versu describere Ferrum
Aggredior. Rigidi qualis sit gleba metalli,
Quove modo conflare juvet, quos cedat in usus
Expediam. Tu, Phœbe, novis bonus annue cœptis,
Et molles opere in duro da fingere versus.
Tuque adeò, Siculis olim qui primus in arvis
Fabrilem, ut perhibent, coluisti haud inscius artem,
Adsis, ô Vulcane, favens, chalybumque fodinas
Pande: pedem, duce te, liceat per opaca locorum
Figere, quà positis Cyclopum incudibus Ætnæ
Antra tonant, rapidisque vomunt fornacibus ignes.
Ante Jovem, & primâ crescentis origine mundi,
Aurea dum placidis florebant sæcula terris,

Ferrea materies nondum sub luminis auras
Exierat; non arma viri, non impia norant
Prælia, nec varios Ferri conflatilis usus.
Quippe hominum Natura parens, rerumque creatrix
Viderat in fatis, dirum ac miserabile tempus
Affore; quo populi populorum sanguine Ferrum
Imbuerent, laxisque furor sæviret habenis.
Id metuens, jamque exitii præsaga futuri,
Continuò fatale cavâ tellure metallum
Abdiderat prudens, Stygiisque admoverat umbris.
Ast ubi deterior paulatim ac decolor ætas
Successit, scelerumque lues irrupit in orbem,
Improba gens hominum scrutari viscera terræ
Cœpit, & abstrusi latebras recludere Ferri.
Ferrea sic primùm Ferri de nomine proles
Dicta fuit, nostrosque genus transmisit in annos.
Ergo age, quisquis ades, qui patrum exempla secutus
E gremio telluris amas depromere Ferrum,
Quas modò præscribam leges servare memento.
Nec pigeat nostris demittere versibus aures.
Divitibus primùm quæ sint loca nata fodinis
Sedulus observa: nec enim plaga quælibet amplam
Fert segetem, non omnis humus generosa metallo est.
Neu tibi difficilis Ferri cognoscere sedem
Sit labor; En venæ certissima signa latentis.
Cum ferrugineo tellus distincta colore

Quærenti sese obtulerit, si dura resistat
Glarea, si densam videas lapidescere glebam,
Effode; quæsitum dabitur reperire metallum.
Quin, ubi depluerit, lapsusque è nubibus imber
Diluerit terram, sese ultrò ferrea prodet
Bractea: nam teretes, globulorum more, lapillos
Dilutæ immixtos passim spectabis arenæ.
Si globulis grave pondus inest, fuscique coloris
Quisque lapillus habet maculas; erit apta metallo
Materies. Hîc vena latet, fœcundaque tellus,
Ne dubita, ingentes chalybum tibi fundet acervos.
Haud mora, conveniant jussi, validisque lacertis
Fossores terram subigant durique laboris
Instrumenta parent, contosque, sudesque recurvas
Certatim expediant, & acutâ cuspide vallos.
Audior: Incumbunt operi, succinctaque turba
Aggreditur puteis similes terebrare cavernas,
Dumque alii effodiunt repetito verbere terram,
Conglomerant alii cumulos. Dein rustica pubes
Advolat, & sportis glebas convectat ad amnem,
Robustumque gemit sub iniquo pondere corpus.
Post ubi continuis ima in penetralia ventum est
Ictibus; erigitur magno constructa labore
Machina, quæ sursùm multa vi pondera tollat,
Penè Grui similis. Fulcris supposta duobus
Est rota contorto hinc illinc circumdata fune.

Parte sub extremâ contorti funis, utrinque
Intextos religare juvat de vimine qualos.
Tùm, rota dum proprio versatilis axe movetur,
E calathis alter fundo devolvitur imo;
Cum redit hic calathus, demittitur ille vicissim,
Ingestâque repletur humo, neuterque quiescit,
Donec abundantis sit vena exhausta metalli.

Dum loquor, immanem video telluris hiatum
Pandere se ante oculos; duro indefessa labori
Fossorum tenebrosa cohors hinc inde pererrat
Subter humum. Pars antra fodit, fossisque sub antris
Obscurasque domos, & opaca cubicula condit.
Pars quoque molitur cameras. His lampades ardent
In specubus, pinguique oleo sua lumina pascunt.
Fervet opus, tremulæque facis sub luce malignâ
Fossor amat gravidam Ferri decerpere messem.

Mulorum intereà phaleratum sistitur agmen,
Succeduntque oneri glebarum, & Ferrea tergo
Certatim ramenta vehunt ad fluminis undam.
Continuò puros latices superinjice glebis,
Materiemque lava. Repetitæ aspergine lymphæ
Concretum abluitur vitium: sic nempè metalli
Partibus hærentem mos est secernere terram.
Quin etiam cribri in morem pertusa paratur
Olla profunda, ingens, cui rara foramina subsunt.
Deinde chalybs nondum à terrâ discretus in ollam

Mittitur; & crebrò fluviali abstergitur undâ.
Ilicet unda fluit penetrans, glebamque jacentem
Irrigat, & sensim crassæ telluris inanes
Particulas secum per aperta foramina trudit.
Sic tibi gleba rudis purgabitur. Ast ubi primas
Flumine prolueris sordes, quod restat in ollâ
Exere, & ardenti fer protinùs igne liquandum.
Nunc age, Musa, mihi memora, ut fornace metallum
Æstuet, ac reliquas purget vis flammea feces;
Quisve Deûm primus Ferri sit fusilis author.
Scilicet æthereis patrio pede pulsus ab astris
Vulcanus Siculas fertur cecidisse sub oras,
Et malè tornati luxasse volumina cruris.
Ille dolens hominum fugit consortia, & imis
Monte sub Ætnæo penitùs se condidit antris,
Certus ibi obscuras agitare inglorius artes.
Ecce autem, dum cœca fodit penetralia terræ,
Ferrea sese intùs gleba objicit. Ille repertam
Servat, & arte novâ meditatur fingere Ferrum.
Nec mora, fabrilem* Ustrinam sub rupe cavatâ
Ædificat, solidoque novum firmare caminum
Aggreditur saxo: rapidos simul adjicit ignes
Impiger, ac folles taurinis pellibus aptat
Multa movens animo. Siculis tùm forte cavernis
Inclusus flabat Boreas, quo flamine tellus
Pulsa dabat gemitum, & latè succussa tremebat

* Forge.

Mulciber, ut vidit Boream sine lege furentem,
Debellare parat; vincit, victumque catenis
Constringit graviter minitans, & acerba frementem
Follibus in mediis, velut arcto carcere, claudit.
Ille intùs sese exagitat, buccâque tumenti
Flans, nimios frustrà sperat mollire calores.
Supplicium facit ipse suum, quotiesque movetur,
Et patulis hinc inde vomit pulmonibus auras
Imprudens, tantò violentiùs æstuat ignis.
Parte aliâ immanis Cyclopum turba recenti
Ferrea dat ramenta foco, glebasque frequentes
Projicit in flammas, & pabula sicca ministrat.
Ignis edax glebas sensim excoquit, atque caloris
Viribus in mediâ fornace metallicus humor
Solvitur; ac tumidus spumarum exuberat amnis.
Intereà horrificò flammarum ardore dehiscit,
Candentesque globos tellus eructat; in auras
Scintillæ chalybum volitant, piceamque favillam
Antra vomunt. Ruptis hinc Ætna effusa caminis
In superos. Hæc prima via est quâ cognita Ferri
Conflatura fuit; tùm sese industria solers
Hactenùs ignotam paulatim finxit ad artem.
Hos igitur, monstrante Deo, quicunque labores
Aggreditur, massamque cupit conflare rigentem,
Quæ modò rettulimus Vulcani exempla sequatur,
Atque laborantes vastâ sub rupe Cyclopas.

Brontemque, Steropemque imitari, aut vincere certet.
Principio quærenda focis aptissima sedes,
Atque opportunos habitusque, situsque locorum
Observare decet. Vitreas ubi gurgite pleno
Volvit aquas vicina palus, ubi consita sylvis
Planities igni dat cædua ligna fovendo,
Hic furno locus est. Spatiosam construe molem
Quatuor instructam muris: gravibusque memento
Cæmentis hinc inde novos substernere muros.
Intùs erunt variæ sedes, & magna supernè
Horrea, queis carbo, crudique effossa metalli
Gleba recondatur, furnoque addicta supellex;
Hîc etiam Fabris diversa cubicula pones.
Ædibus in mediis, quadratam imitata figuram
Exstruitur densâ lapidum compagine, fornax.
Tùm *a* latere attrito, & permixtâ calce ligatur
Saxorum structura recens. *b* Signinus utrinque
Fit paries, qui mox rapido durescat ab igne,
Ardentisque ferat violenta incendia Furni.
Prætereà magis atque magis solidare caminum
Si libeat, trabibus quatuor per mutua nexis
Indere subscudes, mediamque astringere molem
Præcipio. His veluti vinclis tota undique fornax
Cingitur, & sævo manet inconcussa calori.
Ni facias, nimio flammarum vortice ruptum
Dissiliat fornacis opus, divulsaque magno

a brique. *b* de ciment.

Saxa fragore volent, molis compage solutâ.
Sed quid ego duris nequicquam versibus aures
Detineo? quid longa juvat præcepta referre?
Exemplis brevior fuerit via. Si quis amabit
Insignem spectare typum, formamque camini,
Me duce. Nivernas celeri pede carrat in oras.
Hîc propè *a* Montinium fornax Dudefandica pagum
Visitur, ante alias longè præstantior omnes,
Mirum opus, Ætneo moles æquanda camino,
Quam propriâ, Vulcane, manu posuisse viderîs,
Et modò, si superas veniant Cyclopes in auras,
Credo equidem, haud aliis uti fornacibus optent.
Vallis amœna situ longum procurrit in æquor,
Atque oculos variâ delectat imagine rerum.
A dextrâ lævâque nemus, sylvæque frequentes,
E quibus ardenti cæduntur pabula furno.
Hinc flumen, riguique lacus; hinc missa per artem
Pensilis unda cadit subsultim, agitatque cadendo
Tres quatuorve rotas, queis *b* machina tota movetur.
Non ignota loquor: celebris miracula Furni
His egomet vidi his oculis, stupuique videndo.
Est quoque Bitturicis regio notissima terris,
(Ardentem *c* dixere Patres) ubi semina Ferri
Luxuriant, multisque chalybs fornacibus ardet,
Unde suum regio nomen sortita videtur.

a Montigni. *b* double harnois. *c* Fourneaux d'Ardente ou Forges de M. le Prince.

Hîc sua Condæus Princeps, fortissimus heros
Fulmina cudebat, quibus hostica mœnia quondam
In cineres vertebat ovans, turmasque fugabat.
Ah! felix nimiùm felix, memorandaque tellus,
Quæ tanto dedit arma Duci, quem vivida bello
Dextera, & innumeris virtus decorata trophæis
Extulit ad superos, cui tota Europa coactas
Nequicquam opposuit vires: quem castra moventem
Certa sequebatur rapidis Victoria pennis.
Gallicus hic ille est Mavors, qui sæpè feroces
Germanos, Belgas, Batavos, Hispanaque fudit
Agmina, & hostili stagnantem sanguine Rhenum,
Atque Mosam toties auxit; quem Regia Rupes,
Lentia, Friburgum, tuque, ô Norlinga, tonantem
Vidisti, & veteris colles tremuere Seneffi.
Què feror imprudens? aut quò temerarius ardor
Abripit imbellem tanta in certamina musam?
Me-ne decet, Condæe, tuos memorare triumphos,
Atque humili versu tam grandia dicere facta?
Parce, precor, Dux magne, tuis en laudibus impar
Musa silet, metuitque tuas contingere lauros.
Nunc opus inceptum repeto; simul atque caminum
Condideris, geminos folles aptare juvabit,
Qui motu assiduo cava per spiracula ventos
Accipiant, reddantque focis, animasque ministrent.
Ast agitare duos immani pondere folles



Hoc opus, hic labor est. Undis famulantibus usi
Præstiterit. Nempè iligno deducta canali,
Et super ingentem vasto cum murmure labens
Unda rotam, radios agili movet impete tactos.
Annexam rota pulsa trabem (quæ dicitur Arbor)
Volvit agens. Trabs ipsa duos molimine magno
Tollit & exagitat folles, qui deinde vicissim
Perpetuum irritant alternis flatibus ignem.
Tu modò præcocti grandes carbonis acervos
Accumulare focis propera, glebasque metalli
Fabrorum turba impatiens ardente camino
Conglomerent, flammæque ferant alimenta voraci.
Insuper admoneo; lapis est, quem nomine dicunt
Castinam,* gravidis ferro qui crescit in arvis
Candidulus, latisque patens, ceu spongia, rimis.
Quo sine, quidquid agas, nusquam conflare metallum
Fas erit; at lapidem si fortè in frusta resectum
Carboni, glebisque simul fornace sub ipsâ
Miscueris, facilè poteris dissolvere glebas.
Scilicet istius cùm sit natura lapilli
Mollior; in medio flammarum gurgite primus
Liquitur, inque poros Ferri, tenuesque meatus
Paulatim sese insinuans, mora nulla rigentes
Emollit chalybum fibras; dumque ignis anhelans
Vi propriâ nervos, ac vincla tenacia solvit;
Ipsa coagmentat partes, conglutinat unum

* La Castine pierre spongieuse.

In corpus, fluidumque facit Castina metallum.

Fusile sic Ferrum coquitur: vapor ater in auras
Avolat, ebullit piceo liquefacta camino
Materies, circùmque micat violaceus ignis.
At simul impuram coxit vis ignea fecem,
Ferrea spurcities sensim se tollit in altum,
Cumque sit ex sese levior, superenatat omnis
Scoria, a Litiero b nomen fecere priores.
Continuò furni c Præses, cui credita Ferri
Cura fuit, signum sociis indicit, & omnes
Ingenti clamore vocat. Ceu buccina Martis,
Pugnandi cum tempus adest, procul ære canoro
Cogit in arma viros; coëunt in prælia turmæ:
Haud secùs accelerant, facto simul agmine, fabri,
Atra, horrenda cohors, torvisque simillima monstris,
Tetra hominum species, quorum qui viderit ora,
Dæmonas infernis putet erupisse cavernis.
Omnibus immunda illuvies, & squallida sordo
Membra sita, vultusque nigrâ fuligine tincti,
Hirsutumque supercilium, frons hispida, nares
Contractæ, rubrique oculi, quos flammeus ambit
Circulus, ignitis similes carbonibus ardent.
Luridus, exanguisque color, miserandaque pellem
Adducit macies, (quippe omnem in corpore succum
Exedit, arentesque calor depascitur artus.)

Ergo, ubi dux operis signum dedit, ocyùs ingens

a Σκωρία. b Le Litier. c Le Fondeur.

Fabrorum insequitur fremitus, spumamque natantem
Expurgare parant alacres; præit ipse magister,
Summaque detrito præcinctus tempora panno,
Accendit sociorum animos, quàque occupat altam
Spuma superficiem: per murum aperire foramen
Incipit. Ignivomi prorumpens turbinis instar,
Scoria cum gemitu exundat, furit æstus ad auras,
Et piceam glomerat nubem, reserataque credas
Tartara disruptis, flammam expirare, caminis,
Tantus ubique horror, tam vasta incendia surgunt.

Nec fabris datur ulla quies; Pars jactat arenas
Ignes per medios, & saxa molaria torquet,
Pars fundit latices, nimiosque attemperat æstus.
Non impune tamen cuiquam discedere fas est,
Hic dolet accensos flammâ crepitante capillos,
Hic trepidante manu prunas hinc inde volantes
Excutit è gremio; multis ambusta relucet
Barba; bibunt alii graveolentes gutture fumos;
Vix spirare datur, quatit æger anhelitus ora.
Hos inter strepitus nigranti flumine currens,
Quà data porta, ruit laxis effusus habenis
Litierus. Purum remanet sine fæce metallum,
Atque suâ stans mole, imâ fornace residit.

Extemplò succincti operæ de more parentem
Inferiùs reserant aditum, quo Ferreus imber
Depluat. Intereà sulcus flaventis arenæ

Ducitur: extremâ sulci sub parte cavanda est
Fossa trigonalis: ducto fluit acta canali
Materies liquefacta priùs, fossæque paratæ
Insilit. Hîc sensim concrescere massa videtur
Ferrea, cui propriam dat fossa triangula formam;
Atque ita perfecti conflatur Porca *a* metalli.

Sed Porcam finxisse parum est; ubi massa refrixit,
Fertur ad Ustrinam, flammisque ardentibus illîc
Subjicitur, rapidoque iterùm mollitur in igne.
Tum super incudem candens imponere Ferrum
Cura sit, ac flecti facilem contundere massam
Ictibus horrisoni tuditis, qui ritè Palangas *b*
Fingit, & immenso contusas pondere partes
Comprimit addensans. Hinc nostro innata metallo
Durities oritur, cui vis propè nulla resistat.

Hactenùs in furno stridens excudere Ferrum,
Auspice Vulcano, docui: nunc persequar usus
Multiplices, quorum unde vetus repetatur origo;
Carminibus paucis (res est gratissima) dicam.
Vulcano formosa Venus cum nuberet olim,
Convenêre omnes superi, divûmque hymenæos
Quò meliùs celebrent, vastis sub rupibus Ætnæ
Solemni divina parant convivia ritu.
Post epulas, solito repetit de more laborem
Ignipotens, lætâque Deûm spectante coronâ,
Mille operum fingit species. Stupuêre videndo

a La Gueuse. *b* Les barres de Fer.

Cœlicolæ, ut varias Ferrum tractabile formas
Induat artificis jussu. Rex magnus olympi
Miratur, fusoque dehinc sua fulmina Ferro
Misceri voluit: tum cætera turba Deorum
Ferrea dona petunt. Clypeum Tritonia Pallas,
Mars ensem, galeamque rapit. Tu tela, Cupido,
Tela, quibus possis vel saxea figere corda,
Tu pharetram, teretesque legis, Diana, sagittas;
At tibi, flava Ceres, placet unci vomer aratri,
Et magnam Fortuna potens sibi vindicat arcam,
Securas quâ condat opes, aurique talenta.
Protinùs his læti donis abiêre per auras
Dîque, Deæque omnes, & Ferrea munera terris
Ostendêre. Deus belli Vulcania duris
Militibus dedit arma; Ceres monstravit aratrum
Agricolis; Fortuna seni concessit avaro
Bis septem rigidis astrictam clavibus arcam.
Sic variis venêre usus, sic fabrica Ferri
Floruit. Ex illo mille instrumenta laboris
Conficimus, nullique chalybs non utilis arti est.
Hoc sine, nullus honos campis, inarata manerent
Arva colonorum; nec enim sine vomeris usu
Triticeis possint comittere semina sulcis
Agricolæ, putresque soli proscindere glebas.
Quin etiam extremos ibis, mercator, ad Indos,
Si lubet, ac gemino facies commercia mundo

Alta petens, auroque gravis tibi cymba redibit,
Quæ Ferro gravis è patriâ discesserat orâ.
Sin autem pelago subeunda pericula terrent,
Nec dubiis audes animam committere ventis;
Sub lare natali securus distrahe Ferrum.
Hîc ingens tibi quæstus erit, lætusque videbis
In grandes æris cumulos se vertere Ferrum.

Quid loquor? aut ubi sum? quæ se spectacula mœstis
Objiciunt oculis? Heu! nunc commercia bello
Rupta jacent, aliosque chalybs adhibetur in usus.
Ecce catervatim certamina dira lacessunt
Europæ populi. Toto Mars impius orbe
Arma fremit, rigidos Ferrum conflatur in enses.
Hei mihi! Balistas, gladiosque, hastasque parari
Aspicio. Immani resonant Tormenta fragore,
Terribilesque vomunt flammas, & Ferrea longè
Tela vibrant, miserasque suis cum civibus urbes
Exitio involvunt; rumpuntur saxa, domorum
Tecta labant, imisque ruunt è sedibus arces.
Hinc acies laceræ fugiunt, & fœda cruore
Castra rubent: quacumque volat massa ignea, mortes
Mille volant; diris sternuntur corpora campis.
Quid dicam, ut rigido Mortaria facta metallo
Ejaculent fartas inimico sulphure glandes?
Scilicet admotos vix nitrum senserit ignes,
Horrendum stridens, ac fulminis ocyor alis

Bombarda excutitur, tenues volat acta per auras;
Statque super librata diu: mox impete facto
Corruit in præceps. Vi pulveris intima Ferri
Fragmina dissiliunt. Latè fragor intonat ingens:
Obvia quæque rapit feralis machina, muri
Præcipitant, pronamque trahunt tabulata ruinam,
Sæva hominum strages oritur, nec tuta per urbem
Est sua cuique domus. Flamma undique, & undique Ferrũ.
Plura piget memorare; animus tam dira canendo
Horrescit, gelidâque pavet formidine pectus.
O miseri! quæ tanta animos dementia versat?
Quæve agitant furiæ, bellique insana libido?
Parcite, crudeles, per mutua vulnera dulces
Extorquere animas. An non satis improba sævit
In nostrum Libitina genus? Fata, horrida fata
Sponte suâ veniunt. Violentam accersere mortem
Quis furor est, tristisque diem prævertere lethi?
Hoscine terra parens Ferrum concessit in usus?
Sed procul hinc Martis funesta recedat imago,
Este procul, fera bella: placet concordia Ferro,
Sitque licet durum, placito (quis credat?) amori
Sæpiùs indulget. Quid non, Amor improbe, vincis?
Nam simul ac Ferrum sensit Magnetis odores,
Protinùs ad charum lapidem, ceu ponderis expers,
Approperat, celerique volans hinc turbine fertur,
Oscula dat silici, strictisque amplexibus hæret.
Fœderis

Fœderis illius causas penetrare latentes
Antiqui voluêre Sophi; schola tota recentûm
Disceptare solet, cur sic Magnetica virtus
Ad sese rapiat Ferrum, tacitisque moretur
Illecebris. Quàm sæpè mihi sua somnia narrant
Philosophi delira cohors, & pasta chimæris
Futilibus, stolidoque aures clamore fatigant!
Ast ego, divinam cui mentem afflavit Apollo,
Atque arcana dedit rerum mysteria nosse,
Credite, vera canam, (Si dicunt vera Poëtæ)
Et referam veros Ferri & Magnetis amores.

Quà procul extendit vastos Magnesia fines,
Par fratrum vixisse ferunt, quo pulchrius ullum
Non erat. Heu! versas juvenum miserescite formas,
Ac super indignam lacrymas effundite sortem.

Ambo pares ætate, pares & moribus ambo,
Ambo pii, & fatis digni melioribus ambo,
Pastor uterque fuit: fraterno sanguine junctos
Junxerat unus amor. Vicino in monte solebant
Lanigerum servare gregem, tædasque jugales
Exosi, placidæ peragebant otia vitæ.
Fortè Siderites, *a* dilecto absente Sidero, *b*
(Nam pueris hoc nomen erat) sub nocte silenti,
Propter aquæ rivum molli resupinus in herbâ
Spectabat placido fulgentia sydera cœlo:
Cùm simul exoritur formosa Lycaonis Arctos,



a Σιδηρίτης, Magnes, *b* Σίδηρος, Ferrum.

Stella recens, at Nympha priùs, quam Jupiter astris
Inseruit, Boreoque dedit super Axe moveri.
Hanc puer æthereos inter dum suspicit ignes
Admirans, stellamque manet defixus in unam
Attonitis inhians oculis: videt ipsa videntem;
Forma placet, roseasque genas, vultusque modestos
Contemplata diù, tacitam sub pectore flammam
Concipit, atque Poli gelidum licet incolat Axem,
Uritur. Haud alium sibi destinat illa maritum.
Nec mora, nec requies: Plaustrum cœleste relinquit
Impatiens, rapidisque volans pernicior Euris
Labitur in terram: celeres amor addidit alas.
Fit Nymphæ similis, pueroque in valle moranti
Astitit, ingenuum nec dissimulavit amorem.
  Erubuit timidus juvenis, (Rubor ipse decebat,
Afflabatque novos pudibunda per ora lepôres)
Cum tandem has pavido voces è pectore misit.
  O Dea, quid memoras? Quid, quod tibi possit amari,
Vilis habet pastor? Tuus ambitione Deorum
Dignus hymen, seseque putent hac sorte beatos.
Non ego, non tantos merui mortalis honores,
Et sperare nefas: nec amori reddere amorem
Fata sinunt, fratrique fides promissa repugnat.
Ille mihi castos uni devovit amores,
Ille unus castos habeat sibi fratris amores.
  Vix ea fatus erat, turpem cùm passa repulsam

Nympha dolet, sævitque furens. Mutatur in iras
Læsus amor. Puerum dictis objurgat amaris,
Et parat ultrices mora nulla reposcere pœnas.
Tene, ait, indigno decuit mea numina fastu
Spernere? Quandoquidem tenero tam durus amori es,
Durus in æternum maneas. Nec plura, rebellem
Fatali tetigit virgâ, quâ sæpè solebat
In silices duras humanos vertere vultus.
Tùm juvenis tacito sensit sub corde venenum
Gliscere paulatim; torpor gravis occupat artus,
Jamque pedes & crura rigent. Jam saxea fiunt
Brachia; pallenti vox flebilis excidit ore.
Frater, ubi es? morior; nostri miserere doloris.
Advolat, audito fratris clamore, Siderus;
Non jam frater erat, sed lurida fratris imago,
Fitque lapis patrio dictus de nomine Magnes.
At frater miseri fratris lacrymabile funus
Ut videt ante oculos, casu perculsus acerbo
Diriguit mœrens. Dein vox laxata dolori est.
Hunc ego te aspicio, frater, dulcissime frater,
O animæ pars rapta meæ! vivamne superstes?
Ah! sine te quid vita juvat? mihi durior ipsâ
Morte foret. Tua fata sequar, comes ibo sub umbras.
Plura dolor prohibet. Mœsto dùm pectore tales
Dat gemitus, hæretque tenens immobile saxum,
Infelix nimio tandem succumbere amori

Cogitur. In terram pronus ruit; & morientes
Vix tollens oculos, latè loca proxima lustrat,
Crudelemque videt Nympham, cui talia fatur.
Proh scelus! heu! quianam rapuisti, barbara, fratrem?
Altera nunc superest sævo mactanda furori
Victima. Quid dubitas? En adsum, confode pectus.
O ubi mors, quæ me fratri quoque jungere possit?
Nî dederis, dolor ipse dabit commixtus amori.
Pascere funeribus, Dea ferrea, pascere nostris.
Nympha truces volvens oculos, Tu ferreus esto,
Dixit, & in Ferrum juvenilia pectora vertit.
At licet amborum mutarit corpora fratrum
Impia sors, primos nusquam mutavit amores;
Nam lapis ac Ferrum sua nunc quoque fœdera servant,
Et fraternus amor versâ sub imagine vivit.
Quod mirêre magis, quæ quondam stella placebat
Magneti, post fata placet; velut antè, decorum
Cernere sidus amat. Viden' ut Magnetica cuspis,
Quam nautæ vitreâ conclusam pixide gestant,
Semper Hyperboreum sese convertat ad Axem,
Nec requiescat acus, claram nisi viderit Arcton?
Sed tamen hujus amor fraterno cedit amori;
Namque suos si fortè chalybs afflarit odores,
Versa Polum fastidit acus, stellæque micantis
Immemor, unanimi gestit se jungere Ferro.
Tanta inter geminos regnat concordia fratres!

FINIS.

